

brutorum erit perfectior, quia extenditur ad materiam et formam, et non ad solam dispositionem materiae. Ergo.

Resp. Dist. mai. Generatio hominis est perfectior, quia terminus actionis, nempe homo est perfectior, *Conc.* Quia generat formam perfectiorem, *Neg.*

Explico. Perfectio actionis metienda est a termino, qui per illam producitur. Porro hominis actio generativa, quae proprie terminatur ad unionem animae cum corpore, habet pro termino hominem, qui per talem unionem resultat. Quod autem anima non producatur a generante, hoc non procedit ab imperfectione actionis generativae, sed a summa perfectione illius formae, quae non potest produci, nisi a potentissimo agente, nempe a Deo (1).

Oppon. 4.^o Omnis actus alicuius materiae videtur educi de potentia illius materiae. Atqui anima humana est actus materiae corporalis. Ergo anima humana non producitur per creationem.

Resp. Dist. mai. Si est forma dependens a materia et habens esse per compositum, *Conc.* Si est forma subsistens et superexcedens capacitate materiae, *Neg. Contradist. min. et Neg. cons. (2).*

Oppon. 5.^o Homo et cetera animalia conveniunt univoce in ratione animalis. Atqui forma per quam conveniunt, idest anima, in ceteris animalibus generatur. Ergo etiam in homine anima generatur.

Resp. Dist. mai. Homo et cetera animalia conveniunt genere, et differunt secundum speciem, *Conc.* Conveniunt etiam in specie, *Neg. Conc. min. et Neg. cons.*

Explico. Cum anima humana sit forma perfectissima, virtualiter in sua simplici essentia continet perfectiones ceterarum formarum inferiorum; hinc unita suo proprio perfectibili tribuit ipsi perfectionem, quam formae inferiores impertiunt propriis subiectis, et aliquid amplius. Quare propter illas communes perfectiones homo convenit in genere cum aliis animalibus; sed ab ipsis differt specie propter aliquam perfectionem, quae est propria animae humanae, et non competit animalibus brutorum; et haec perfectio efficit, ut anima humana causetur modo quodam sibi proprio, nempe per creationem.

(1) Cf. S. THOM. *QQ. DD. De pot. q. 3, a. 3 ad 26.*

(2) Cf. S. THOM. 1 p. q. 90, a. 2 ad 2.



QUAESTIO II.

De unionem animae intellectivae cum corpore.

QUAESTIONIS PRAESTANTIA ET DIFFICULTAS. Inter visibiles naturas homo principatum sibi vindicat. Siquidem genus hominum, quod neque sola anima constituitur, neque solo absolvitur corpore, sed compositum est ex anima intellectiva et corpore corruptibili, perfectiones omnium rerum visibilium excellentiori modo in se complectitur, et ob suam intelligendi virtutem particeps quodammodo fit perfectionum, quae in substantiis separatis reperiuntur. Quocirca homo iure habetur uti quidam nexus annulusque copulans sensibiles creaturas cum spiritualibus, et a sapientibus dicitur *μικρόκομος*, idest parvus mundus; quia, uti scite notavit S. Thomas, « omnes creaturae mundi quodammodo inveniuntur in eo » (1).

Per hominem sane quisque intelligit compositum illud mirabile, quod substantiam intellectualem et materiam una complectens, in se coniungit perfectiones tum corporeae tum incorporeae creaturae. Sic in homine apparet illa sapientissima et pulcherrima rerum mundanarum connexio, quam ita eleganter descripsit Aquinas noster: « Hoc autem modo rerum connexio explicari potest. Semper enim invenitur infimum supremi generis contingere supremum inferioris. Unde et B. Dionysius dicit quod *divina sapientia coniungit fines superiorum principii inferiorum*. Est igitur accipere aliquid in genere corporum, scilicet corpus humanum aequaliter complexionatum, quod attingit ad infimum superioris generis, scilicet ad animam humanam, quae tenet ultimum gradum in genere substantiarum intellectualium. Et inde est, quod anima intellectualis dicitur esse quidam horizon et confinium corporeorum, et incorporeorum » (2).

Verum enim tametsi perspicuum sit, hominem constare ex anima et corpore; hoc quippe testatur ineluctabile conscientiae testimonium, quo monemur, ad nos pertinere tum quae corporis sunt, tum quae sunt animae; nihilominus magna oboritur difficultas in explicanda ratione secundum quam spiritus et materia, res omnino dissociabiles, copulentur ad unam efformandam substantiam, naturam, personam. Difficultatem hanc esse maximam sensere omnes sapientes, eamque patefecit S. Augustinus, inquam: « Modus quo corporibus adherent spiritus, et animalia fiunt, omnino mirus est, nec comprehendi ab ho-

(1) 1 p. q. 91, a. 1.

(2) *Contra gent. lib. II, cap. LXVIII.*

mine potest » (1). Ratio vero tantae difficultatis exinde repetenda est, quod anima intellectiva quae subsistens est, et incorruptibilis, ideoque, corpore exuta, vivere pergit et operari, debet communicare suum esse materiae, ut unicam conflare possit cum corpore organico substantiam viventem.

Ad hanc difficultatem enodandam et ad unionem animae cum corpore explicandam, philosophi tum veteres, tum recentes, quamplurimas et inter se pugnantes opiniones in medium protulerunt. Et quoniam unio plurium effici potest vel secundum esse substantiale, vel secundum esse accidentale, nonnulli accidentalem tantum unionem inter animam et corpus tuiti sunt; nonnulli vero licet verbis fateantur, unionem animae et corporis esse substantialem, cum unicam agnoscant in homine individuam ex anima et corpore concretum; nihilominus ita huiusmodi unionem declarant, ut vel accidentalem vel nullam admittere videantur.

Nos vero in nobilissima hac et simul perabscondita quaestione disceptanda peripateticam sententiam, quam Doctores Ecclesiae, et Scholastici omnes amplexati sunt, vindicare conabimur, utpote unice veram, et documentis Fidei apprime conformem. In doctrina autem enodanda religiose prememus vestigia Summi Aquinatis, qui de ipsa sapientissime et copiose disputavit in omnibus fere suis operibus; et sic int̄r medias oppositorum errorum tenebras veritatem invenire et pro viribus explanare conabimur (2).

ARTICULUS I.

AN UNIO ANIMAE CUM CORPORE SIT SUBSTANTIALIS.

QUAESTIO DETERMINATUR. Omnes philosophi, qui tuentur, animam humanam esse realiter distinctam a corpore, hominemque constare ex corpore organico et anima spirituali, consequenter docent, ex anima et corpore efflorescere unicum individuum naturae humanae, quod neque dici potest sola anima neque solum corpus, sed dici debet homo. Hinc aequaliter profitentur, unionem animae cum corpore esse substantialem, cum impossibile prorsus sit, ex duabus realitatibus simul unitis resultare unicum individuum alienius naturae, quin simul illae duae realitates ponantur unitae substantialiter.

Verum enim novatae a Cartesio philosophiae sectatores, cum conceptum substantiae et unitatis substantialis in substantiis compositis

(1) *De Civit. Dei*, lib. XXI, cap. X.

(2) De hac re tractat S. THOM. 1 p. q. 76; *Contra gent.* lib. II, cap. LVI et seq.; *QQ. DD. De spirit. creaturis*, a. 1 et 3; *De Anima*, a. 1, 2, 9.

deformaverint, veram scientificamque viam explicandae unionis, quae intercedit inter animam et corpus, invenire nequiverunt; ideoque vel diserte professi sunt, animam esse corpori accidentaliter unitam, vel talem modum unionis inter animam et corpus assignaverunt, ex quo evidenter concluderetur, animam rationalem vel accidentaliter, vel nullo modo esse corpori copulatam.

Quam ad rem in enodanda ratione secundum quam anima spiritualis unitur corpori ad hominem conflandum, in primis necesse est, ut certo et indubitanter stabiliatur, huiusmodi unionem esse substantialem, et ex hac veritate, quae caput est totius controversiae, progressio fiat ad cetera explananda. Ut autem ordini et perspicuitati serviamus, quaedam in memoriam revocabimus, quae de unitate explanata sunt in Philosophia Prima.

Quid unum? Unum, quod cum ente convertitur, secundum intellectum addit enti rationem indivisionis; est quippe unum ens individuum. Verum secundum diversas entium nobilitates statuendae sunt diversae perfectiones unitatis; et sicut entia distribuuntur in simplicia et composita, sic unitas discernitur in unitatem simplicitatis, et compositionis. Quae enim indivisa sunt actu et potentia, idest quae sunt indivisibilia, unitatem simplicitatis sibi vindicant; quae vero ita sunt indivisa, ut sint divisibilia, unitatem compositionis habent. Secunda haec unitas, quae imperfectior est altera, vigere nequit, nisi per junctionem plurium, quae sub actu vel sub esse quodam communi copulantur. Unde si unio talis est, ut ex plurium coniunctione resultat ens aliquod per se et simpliciter unum, nempe indivisum in primo esse, unio dicitur et est substantialis. Quod si partes uniuntur per aliquod esse secundarium superveniens rei iam existenti in actu et in suo primo esse constitutae, unio est accidentalis.

Duplex unitas substantialis. Substantia dicitur dupliciter; uno modo pro essentia sive pro natura; alio modo pro supposito sive hypostasi (1). Porro utroque modo dicitur unio animae cum corpore substantialis. Uti enim Angelicus monet: « Ex anima et corpore constituitur in unoquoque nostrum unitas naturae et personae » (2). Hic autem sedulo adnotandum est, propositionem, qua affirmamus humanam naturam esse unam, non differre quicquam a propositione, qua dicimus humanam essentiam vel substantiam esse unam. Licet enim formalis conceptus naturae, essentiae, et substantiae sit diversus; nihilominus in ente, quod est substantia et non accidens, substantia, essentia, natura sunt unum idemque secundum rem; ideoque cum in homine sit una natura composita ex anima et corpore, una quoque est substantia completam habens speciem.

(1) Cf. S. THOM. 3 p. q. 2, a. 6 ad 3.

(2) 3 p. q. 2, a. 1 ad 2.

PROPOSITIO.

Unio animae rationalis cum corpore est substantialis, idest ex anima et corpore resultat ens per se unum, nempe unica substantia.

Prob. prop. Arg. 1.^{um} Ex unione animae rationalis cum corpore constituitur integritas speciei humanae. Iam vero ea quae iunguntur ad integram speciem constituendam, uniuntur substantialiter. Ergo unio animae humanae cum corpore est substantialis.

Evol. arg. Ad propositionem maiorem quod attinet, tunc habetur natura aliqua seu species completa, quando efficere potest omnes operationes, quae propriae sunt illius speciei. Sed anima intellectiva et corpus separatim nequeunt efficere operationes humanae naturae, quas exercere possunt, si una copulantur. Ergo eorum unio constituit integram speciem. Ad rem nostram sic disserit S. Thomas: « Anima cum sit pars humanae naturae non habet perfectionem suae naturae, nisi in unione ad corpus, quod patet ex hoc, quod in virtute ipsius animae est quod fluant quaedam potentiae, quae non sunt actus organorum corporalium, secundum quod excedit corporis proportionem, et iterum quod fluant ab ea potentiae, quae sunt actus organorum, in quantum potest contingi a materia corporali. Non est autem aliquid perfectum in sua natura, nisi actu explicare possit, quod virtute in eo continetur; unde anima licet possit esse et intelligere a corpore separata, tamen non habet perfectionem suae naturae, cum est separata a corpore » (1). Quod autem ad contemplandam naturam seu speciem requiratur unio substantialis, hoc perspicuum est intelligenti terminos, et aliunde corpus per unionem cum anima vitam recipit, quae est ipsum esse substantiale viventis.

Arg. 2.^{um} depromptum ex operationibus, quae non sunt neque solius animae neque solius corporis, sed coniuncti, atque ita proponi potest. Ea quae diversa sunt secundum substantiam et naturam, non possunt exercere unam eandemque operationem. Atqui corpus et anima exercent in homine unam eandemque operationem, uti sentire. Ergo corpus et anima in homine per iunctionem conflant unam substantiam et naturam. Hoc argumentum ita perbelle enucleatur a S. Thoma: « Impossibile est quod eorum, quae sunt diversa secundum esse, sit operatio una. Dico autem operationem unam non ex parte eius in quod terminatur actio, sed secundum quod egreditur ab agente: multi enim trahentes navim, unam actionem faciunt ex parte operati, quod est unum; sed ex parte trahentium sunt multae actiones,

(1) *QQ. DD. De spir. creaturis*, a. 2 ad 5.

quia sunt diversi impulsus ad trahendum; quum enim actio consequatur formam et virtutem, oportet quorum sunt diversae formae et virtutes, et actiones esse diversas. Quamvis autem animae sit aliqua operatio propria; sunt tamen aliquae operationes communes sibi et corpori... Oportet igitur ex anima et corpore unum fieri, et quod non sint secundum esse diversa » (1).

Arg. 3.^{um} Ex anima et corpore resultat unica persona. Atqui duorum constituentium unicam personam unio est substantialis. Ergo anima unitur corpori substantialiter. Propositio maior exinde clarescit, quod uni eidemque subiecto tribuuntur tum quae ad animam, tum quae ad corpus spectant, cum unus idemque sit, qui dicitur nasci, nutririi, mori, intelligere, velle. Neque negotium facessit, quod corpus quandoque dicatur instrumentum animae: est enim instrumentum substantialiter unitum, non accidentaliter: « Non omne, ait S. Thomas, quod assumitur ut instrumentum pertinet ad hypostasim assumptis, sicut patet de securi et gladio; nihil tamen prohibet illud quod assumitur ad unitatem hypostasis, se habere ut instrumentum, sicut corpus hominis vel membra eius » (2).

Quare unio animae et corporis omnino dici debet substantialis et eiusmodi ut ex ipsis efflorescat unica natura completa in specie, et unica persona, ideoque iure praedicanda est tum naturalis tum personalis. Siquidem, uti monet Aquinas: « Ex anima et corpore dicitur esse homo sicut ex duabus rebus quaedam tertia res constituta, quae neutra illarum est: homo enim neque est anima, neque corpus » (3).

ARTICULUS II.

ERRORES DE UNIONE ANIMAE ET CORPORIS EXPONUNTUR.

CONTINUATIO RERUM. Philosophi omnes, qui in rebus visibilibus denegant substantialem compositionem ex materia et forma, tamquam ex causis intrinsece constituentibus corpora sive inanimata sive viventia, in explicanda unione animae rationalis cum corpore organico, necessario et ratione connexi multipliciter peccaverunt. Nam cum ex una parte ex anima et corpore evidenter efflorescat unicum individuum, quod dicitur homo, ideoque anima et corpus substantialiter uniri debeant ad unicam substantiam efformandam; cumque ex alia parte unio substantialis ad speciem completam seu naturam integrandam concipi non possit, nisi duo principia substantialia

(1) *Contra gent. lib. II, cap. LVII*; cf. 1 p. q. 75, a. 4.

(2) 3 p. q. 2, a. 6 ad 4.

(3) *Opusc. De ente et essentia*, cap. III. Difficultates inveniuntur solutae post articulum tertium.

adstruantur; consequenter osoros compositionis substantialis rerum corporatarum in explicanda natura humana, vel hominem revocarunt ad solam animam, vel animam cum corpore accidentaliter copularunt. Quare antequam accedamus ad veram rationem explicandam, secundum quam anima iungitur corpori, praestat diversa placita philosophorum a veritate aberrantem exponere et refellere.

Plato. Ut a veteribus incipiamus primus nobis occurrit Plato, qui ad explicandam unionem animae intellectivae et corporis docuit, animam uniri corpori, tamquam motorem mobili, eoque uti, sicut artifex utitur instrumento, et musicus utitur lyra: unde, ex sententia Platonis, anima est in corpore sicut navita est in navi, idest per quemdam contactum virtutis. Verum quoniam, ex motore et mobili, ex artifice et instrumento nequeat fieri unum simpliciter; ulterius docuit Plato, hominem dici non posse aliquid compositum ex anima et corpore, sed dici debere animam utentem corpore, eodem ferme pacto ac Socrates non dicitur compositus ex homine et indumento, sed homo utens veste (1). Qua ex doctrina patet, unionem animae et corporis ex Platonis decreto non esse nisi accidentalem. Opinatio Platonis ab Aristotele invicte refutata, et iam pridem dimissa, a quibusdam recentibus renovata fuit, qui dixerunt, hominem esse intelligentiam, cui organa deserviunt.

Plotinus. Sententiam Platonis emanatismi placitis accommodavit Plotinus, qui docuit, animas extra corpora existentes ob desiderium materiae quo captae fuerant, in corpora dilapsas esse, in iisque tamquam in carcere custodiisque morari. Et sic paulo secus renovavit commentum Pythagorae et Empedoclis tradentium, animas ante hanc vitam terrenam vixisse aliam caelestem, et propter aliquod crimen fuisse in corpora detrusas.

Commentator. Averroes cum nonnullis veteribus, ut ipse commemorat, tradidit, animam intellectivam esse separatam a corpore secundum esse, ideoque non esse formam corporis; et in suam sententiam pertrahere conatur ipsum Aristotelem, eo quod Philosophus vocat intellectum, separatum, non immixtum corpori, simplicem, impassibilem, quae omnia de ipso nequirent praedicari, si anima esset forma corporis. Verum quoniam hic intellectus minime ad nos pertineret, nec intelligeremus per ipsum, nisi aliquo modo copularetur nobiscum, hanc coniunctionem explicare aggreditur per speciem intelligibilem habentem duplex subiectum, unum videlicet intellectum possibilem, et aliud ipsa phantasmata, quae sunt in organis corporeis; et sic per speciem intelligibilem nectitur et quodammodo continuatur intellectus possibilis corpori huius vel illius hominis (2).

(1) Cf. S. THOM. *Contra gent.* lib. II, cap. LXVII.

(2) Cf. S. THOM. *Contra gent.* lib. II, cap. LXIX; 1 p. q. 76, a. 1.

Cartesius et Cartesiani. Commentum Platonis et Platoniorum, qui veram et substantialem unionem animae cum corpore subvertebant, acriter impugnatum fuit ab Ecclesiae Doctoribus, et a Scholasticis, qui omnes uno ore professi sunt, animam intellectivam corpori coniungi ut formam substantialem constituentem cum ipso unam integramque naturam, unamque personam. Idcirco Augustinus Varonem laudat, qui investigans, an homo sit sola anima iuxta Platonem, an solum corpus iuxta Epicurum, an simul utrumque, uti tradidit Aristoteles, hoc tertium elegit (1). Verum postquam philosophia ob Protestantium molimina a Fide Catholica prorsus descivit, novandi licentia velut tabes invasit philosophorum mentes, qui doctrinam Aristotelico-Scholasticam de homine contempserunt, et commentum Platonis et Platoniorum animam et corpus accidentaliter duntaxat iungentium, novo verborum apparatu agminatim instaurarunt.

Cartesius Platoniam doctrinam diserte amplexus est, et docuit, essentiali animae positam esse in cogitatione, quo nomine significabat actum intelligendi, volendi, imaginandi, sentiendi. Hoc dogmata constituto, ita ferme argumentabatur. Essentia animae constituitur per cogitationem. Atqui essentia quoque hominis reposita est in eo quod cogitat. Ergo anima est homo. Propterea anima substantia est completa, eique corpus non nisi accidentaliter advenire potest (2). Cartesii doctrina, quae unicam et veram viam a Christiana philosophia initam in explicanda hominis natura deserebat, innumeras progeniit inter suos asseclas opiniones; praesertim vero tria illa systemata, quae sub nomine *occasionalismi*, *harmoniae praestabilitae*, et *influxus physici*, circumferuntur, iuxta quae recentes Cartesiani iunctionem animae cum humano corpore explicare nituntur.

Occasionalismus. Hoc systema, quod et *minuae assistentiae* et *Cartesianum* audit, fuit a Mallebranchio adornatum. Mallebranchius quippe ex illo Cartesii principio: *Unice per creationem, ideoque sola virtute infinita fieri potest, quicquid actu antea non erat, rite processit ad absurdum illud decretum, quod statuit, veram activitatem esse solius Dei, cum actio qua nihil fit, nulla sit, et aliunde quod est, minime fit.* Idcirco ad systema causarum occasionalium se recepit ut explicaret creaturarum operationes. Hoc eodem systemate usus est ad explicandam unionem animae cum corpore. Cum anima et corpus qualibet activitate destituta fingantur, cumque absurde supponatur, in hac quaestione explicandam esse concordiam inter perceptiones volitionesque animi, et motiones respondentes in corpore, qua in concordia unio animae et corporis inepte reponitur, et non potius assignandam esse causam huiusmodi concordiae, quae in natura hominis coalescente ex

(1) Cf. S. AUGUSTINUS, *De Civ. Dei*, lib. XIX, cap. III.

(2) *Medit.* 6, § 8; *Les principes de la phil.* par. 1, § 8.

anima et corpore, reperienda est; sic res exponitur a Mallebranchio. Deus occasione quarundam perceptionum et volitionum, quas producit in anima, respondentis motus efficit in corpore; et vicissim occasione motionum corporis a Deo effectarum, producuntur in anima concordēs perceptiones volitionesque ab ipso Deo. Per hanc concordiam perceptionum et volitionum animae cum motibus corporis declarat unionem animae cum corpore, ex qua resultat homo et natura humana.

Harmonia praestabilita. Hoc systema, quod et *Leibnitianum* dicitur, et *Wolfianum*, eo quod Leibnitium inventorem, et Wolfium defensorem habuit, cum priori concordat in eo quod inter animam et corpus nullam communitatem essendi nullumque actionis influxum admittit. Verum ab eo maxime differt, quod veram agendi virtutem animae tum corpori largitur. Qua differentia constituta, explicare pergit consonantiam inter operationes animae et corporis motiones, eo quod Deus Artifex sapientissimus naturarum ita condidit et animam et corpus cuiusque hominis, ut ad determinatas perceptiones et volitiones ab activitate animae procedentes respondeant in corpore congruentes motus, et vicissim. Et sic per divinam praescientiam ita harmonice anima et corpus perfecta sunt, ut in agendo et patiendo maximam mirabilemque concordiam servent. Ordinata autem et connexa series et volitionum animae et motionum corporis a Leibnitio sic explicatur, quod prior perceptio et volitio in anima sit ratio sufficiens posterioris perceptionis et volitionis; et prior motus in corpore sit ratio sufficiens posterioris, et posterior motio priorem necessario consequatur.

Influxus physicus, qui dicitur etiam *mutua causalitas* vel systema *Lockianum*, eo quod a Lockianis magno ardore explicatum propugnatumque fuit. Ipsi nomen *influxus physici* attributum fuit, propterea quod explicat unionem animae et corporis per mutuam operationem animae in corpus, et corporis in animam, ex qua mutua actione et passione ratio habetur, quamobrem ad certas animae volitiones producuntur determinati motus in corpore, et ad quosdam motus in corpore excitentur in anima quaedam perceptiones. Hoc systema innumeros sibi vindicat assertores et patronos, quos recensere esset infinitum, cum ad illud confugerint omnes pene philosophi, qui sectantes in philosophando dogmata cartesianā, et a peripatetica doctrina materiae et formae substantialis abhorrentes, sentiebant, unionem animae et corporis in homine minime explicari posse sive per mutuam assistentiam, sive per harmoniam praestabilitam, ideoque physicum influxum amplexti sunt.

Praejudicium. Tria memorata systemata quaestionem solvendam ne attingunt quidem; agitur enim de ratione assignanda, qua anima intellectiva et corpus una coniungantur ad conflandum unicum individuum humanum, cui merito tribuantur et actiones quae sunt

animae, scilicet intelligere, et actiones quae sunt corporis et animae, idest corporis animati et viventis, uti sentire, nutrire, moveri secundum locum. Verum propugnatores horum systematum supponentes, animam et corpus esse duas substantias completas, subsistentes, et separatas secundum esse substantiale proprium cuiusque, et consequenter proprias operationes sibi vindicare, de commercio inquirunt inter animam et corpus, idest de consonantia et concordia inter perceptiones et volitiones animae et motiones corporis; et in hac consonantia unionem reponunt, cum eviderent haec concordia unionem consequatur et supponat, non constituat. Hoc evidentius apparebit, si sub oculos ponamus simile illud, quo utitur Leibnitius ad haec tria systemata summam exponenda. Fac, inquit, duo esse horologia, quae consonare debeant. Obtineri id potest triplici methodo. Una per influxum, si feceris, ut alterum agat in alterum, idque vel mutuo, vel ex alterutro tantum latere. Hanc viam *influxus* vocabimus. Secunda est, si opificem operi comitem feceris, qui dissonantia ceteroquin, vel cessantia in motu horologia singulis momentis sibi mutuo accommodet, alterum dirigens ex altero. Hanc viam vocabimus *assistentiae*. Tertia est si satis accuratas feceris eas machinas, ut singulae suas leges exacte exsequantur, easdemque ab initio sibi respondere curaveris. Ita enim cum utraque easdem vel similes exsequatur leges, semel harmonicae numquam dissilient: quam viam *praestabilitae harmoniae* dicimus. Hactenus Leibnitius, qui patefactis quibusdam incommodis tum influxus physici tum mutuae assistentiae, illico concludit, confugiendum esse ad harmoniam praestabilitam, ut unio animae cum corpore intelligi tutarique valeat!

Et quaerenda sunt argumenta quibus haec novatae philosophiae placita refellantur! Nimirum cum explicandum veniat, quo pacto anima intellectiva iungatur corpori organico, ita ut fiat unicum individuum et unica natura humana, et, anima accedente, vere generet homo, eaque recedente, corrumpatur, qua ratione anima communitur corpori sibi unito esse viventis et sensitivi, illudque elevet ad speciem humanam, recens philosophia, destructa mirabili hac unione, quam documenta fidei proclamant, evidens ratio evincit, ipse communis sensus naturae ratam habet, nobilissimam quaestionem praeterlabitur, et serio inquiri de commercio inter animam et corpus, perinde ac essent duae naturae inter se penitus disiunctae, et accidentaliter dumtaxat copulae! Quam ad rem has diversas tum veterum tum recentiorum philosophorum sententias, quae ineptae omnino sunt ad scientificam explicationem exhibendam mirabilis unionis, secundum quam anima rationalis iungitur corpori ad hominem constituendum, duabus propositionibus explodemus, et sic viam parabimus ad doctrinam peripatetico-scholasticam hac super re proponendam.

PROPOSITIO I.

Absurda est opinio Platonis et Platoniorum, nec non sententia Commentatoris de unione animae intellectivae cum corpore.

Arg. 1.^{um} et generale pro utraque positione. Illa opinio absurda est, qua admissa, homo, idest animal rationale erit unum per accidens et non simpliciter et per se. Atqui, admissa positione tum Platonis et Platoniorum, tum Averrois, homo erit ens unum per accidens. Ergo gemina illa opinio repudianda est, utpote non explicans, sed destruens potius compositam hominis essentiam seu naturam. Ut propositio maior evolvatur, notandum est, hominem dici et esse ens unum per se, quia hominis est definitio una et non multiplex, nimirum *animal rationale*. Nam unum per se, dicitur tripliciter, vel sicut indivisibile, vel sicut continuum, vel sicut quod est ratione unum, videlicet definitio (1). Quod autem in Platonis et Averrois sententia homo esset unum per accidens, hoc est evidentissimum, cum ex motore et mobili fieri nequeat unica substantia, neque ex duobus per speciem intelligibilem, quae accidens est, coniunctis.

Arg. 2.^{um} Corpus per unionem cum anima recipit esse et speciem. Atqui tum in sententia Platonis tum in sententia Averrois corpus per unionem cum anima neque recipit esse, neque speciem. Ergo duplex illa sententia absurda est et commentitia. Et revera corpus ab anima accipit vitam. Porro vivere viventibus est esse. Ergo recipit esse. Insuper corpus et partes eius, anima recedente, non remanent eiusdem speciei, uti manifestum est. Ergo anima corpori, cui unitur, speciem tribuit (2). Quod autem, posita unione ab Averrois et Platone conficta, corpus ab anima non haberet esse neque speciem, nemini dubium esse potest; nam neque mobile recipit esse et speciem a motore, neque subiectum vel organum corporeum a specie intelligibili.

PROPOSITIO II.

Systemata assistentiae, harmoniae praestabilitae, et influxus physici unionem animae et corporis non explicant, sed destruunt, et plura impossibilia in se continent.

Arg. 1.^{um}, et generale. Illa systemata nequaquam explicant unionem animae et corporis ex qua resultat homo, sed potius eam subvertunt, quae profitentur, animam et corpus esse duas substantias com-

(1) Cf. S. THOM. *Contra gent.* lib. II, cap. LVII.

(2) Cf. S. THOM. *Contra gent.* lib. II, cap. LVII.

plete subsistentes, et explicare conantur, qua ratione operationes utriusque substantiae concinant simul. Atqui huiusmodi dicenda sunt tria enumerata systemata. Ergo inepte admodum assumuntur ad explicandam unionem quam, si vera essent, funditus subverterent. Ut vis argumenti intelligatur, revocare oportet in memoriam, quod a nobis iam animadversum fuit, nimirum in hac quaestione explanandum esse quo pacto anima intellectiva et corpus organicum una iungantur ad hominem conflandum; hoc autem minime explicatur per consonantiam et harmoniam actionum et motionum animae et corporis, quae consonantia ortum ducit ab unione iam praesupposita, et est eius effectus, ideoque illam formaliter constituere nequit. Ergo conficta systemata quaestionem solvendam ne attingunt quidem, nedum illam solvant, proindeque inter somnia amandanda sunt.

Arg. 2.^{um} Anima per suam iunctionem cum corpore organico ipsi tribuit speciem et vitam, illudque elevat ad esse corporis humani, sensitivi, viventis. Atqui per unionem, quam tria illa systemata comminiscuntur, anima nequaquam tribuere potest speciem et vitam corpori, quocum coniungitur. Ergo memorata systemata repudianda omnino sunt.

Evol. Arg. Ad propositionem maiorem quod attinet, nemini dubium esse potest, animam intellectivam per suam accessionem tribuere corpori speciem. Corpus enim vivum, sentiens, humanum specie differt a corpore inanimato: est autem vivum, sentiens, et humanum per animam intellectivam: ergo speciem mutuatur ab anima intellectiva (1). Hoc luculentius apparebit, si spectamus, operationem procedentem a corpore vivente esse specie diversam ab operatione procedente a corpore mortuo; alia quippe est immanens, alia transiens. Sed per operationem cognoscimus naturas speciesque rerum. Ergo corpus vivum mutuatur speciem ab anima. Sed speciem non posset recipere, nisi anima communicaret ipsi suum esse substantiale. Ergo unio quae a tribus memoratis systematibus confingitur, est plane inepta ad solvendam quaestionem. Ceterum tria systemata recentiorum ipsam animae naturam et definitionem evertunt, cum anima sit: *Actus primus corporis physici organici potentia vitam habentis*.

Contra occasionalismum. Ut aliquid de singulis systematibus seorsum dicamus, systema causarum occasionalium vel mutuae assistentiae praeter quam quod rem explicandam insolutam deserit, haec praecipua offendit incommoda. 1.^o Spoliat creaturas omnes qualibet activitate, et consequenter meritum ac demeritum destruit simul cum libertate, quae sine domino propriae operationis concipi nequit. 2.^o Realem et physicam unionem inter animam et corpus e medio tollit: anima quippe et corpus concipiuntur ut duae machinae, qua-

(1) Cf. S. THOM. *QQ. DD. De Anima*, a. 1; *Contra gent.* lib. II, cap. LVII.

rum altera ab artifice movetur occasione alterius. 3.^o In hoc systemate nullo rationabili modo explicari potest, cur quandoque perturbentur leges quibus motiones corporis perceptionesque animae temperantur. Unde scite de hoc systemate loquens Leibnitiu ait: « Miratur sum frequenter hominibus tam eruditis sententias tam parum philosophicas, tamque primis rationis effatis contrarias probari potuisse » (1).

Contra harmoniam praestabilitam. 1.^o Hoc systema incurrit aequè secundum incommodum notatum in systemate assistentiae, cum unio a Leibnitio conficta nullo pacto sit physica et realis. 2.^o Assignat absurdam et commentitiam rationem sufficientem iugis successionis operationum animae et motionum corporis, et quae, si vera esset, destrueret radicis libertatem humanae voluntatis, cum omnes appetitiones hominis essent naturales et necessariae. 3.^o Favet idealismo; uti enim probe notat Clarkius: Si vera est *harmonia praestabilita*, homo nec videt nec audit, nec sentit quicquam, nec corpus suum movet, sed solum videtur sibi se videre, audire, sentire, et corpus suum movere.

Contra influxum physicum. Systema influxus physici his obnoxium est incommodis. 1.^o Materialismo viam parat inducens actionem corporis in animam; corpus quippe nequit in aliud agere, nisi per contactum quantitatis et molis, qui contactus nonnisi inter corpora haberi potest: *Tangere enim et tangi nisi corpus, nulla potest res*, uti ex Epicuro cecinit Lucretius (2). Iam vero anima est spiritualis et immaterialis; ideoque corpus in illam nihil agere potest; nam nihil corporeum imprimere potest in rem incorpoream (3). 2.^o Renovat commentum Platonis unientis animam corpori tamquam motorem mobili; quae unio non est essentialis, sed dynamica, idest per contactum virtutis, quae est accidens; et ex ipsa numquam efflorescere potest ens unum simpliciter. Uti enim loquitur S. Thomas: « Quae uniantur secundum talem contactum, non sunt unum simpliciter: sunt enim unum in agendo et patiando, quod non est esse unum simpliciter; sic enim dicitur esse unum, quomodo et ens: esse autem agens non significat esse simpliciter: unde nec esse in agendo est esse unum simpliciter » (4). 3.^o Demum in hoc systemate cum actiones animae procederent a principio substantialiter diverso ab eo, ex quo actiones procederent corporis, nulla actio esset communis animae et corpori, et tribui posset composito.

Scholion. Ut brevitati consuleremus, systemata omisimus Joannis Clerici, et Rosminii, quorum primus ratus est, animam et corpus inter

(1) *Theol.* part. 2, § 340.

(2) *De r. cavu* nat. lib. I, v. 305.

(3) Cf. S. THOM. 1 p. q. 84, a. 6.

(4) *Contra gent.* lib. II, cap. LVI.

sese uniri per naturam quamdam tertiam utriusque participem; secundus docuit, animam corpori uniri per perceptionem immanentem sensus fundamentalis. Haec duo systemata perspicue absurda sunt. Clericus quippe theoriam Cudworthi de *natura genitrice* vel de *natura plastica* diffusa per omnes res, quam, ad explicandas materiae operationes, mediam posuit inter Deum et corpora, unioni animae cum corpore accommodavit, et commentus est, dari naturam quamdam neque corpoream neque incorpoream, sed utriusque participem, quae vice fungatur *mediatoris plastici* animam cum corpore copulantis.

De hac sententia, prout a Joanne Clerico usurpatur ad declarandam unionem animae cum corpore, dicimus, eam esse egregie secum pugnantem, cum commentitiam quamdam rem inducat, idest naturam, quae non est neque corpus, neque spiritus. Ceterum doctrina de *mediatore plastico* inter animam et corpus contra nonnullos veteres refutata iam pridem fuit a S. Augustino (1), et a S. Thoma qui multis in locis directe copioseque probat, animam intellectivam sine ullo medio esse cum corpore unitam (2). Hanc eandem doctrinam immediatae unionis inter animam et corpus diserte docuit, uti paulo post videbimus, Pius IX P. M. Güntheri errores proscríbens.

Neque minus falsus est Rosminius, qui per sensum fundamentalem, nimirum per cognitionem sensitivam huiusmodi unionem explicat. Haec quippe unio, praeter alia incommoda, est accidentalis et mediata, et inducit commentitiu quemdam et perennem sensationis actum ad arbitrium confictum, et in circulum incidit vitiosum; anima quippe non potest corpus sentire, quia ipsi sit unita; et ipsi unita esse nequit, nisi illud sentiendo (3).

ARTICULUS III.

AN ANIMA UNIATUR CORPORI UT FORMA SUBSTANTIALIS.

QUAESTIO CIRCUMSCRIBITUR. Probatum a nobis est, unionem animae cum corpore esse substantialem, cum ex ea resultet unica substantia composita, nimirum unica natura humana, et unicus homo. Investigandum nunc venit qua ratione substantia spiritualis vel anima intellectiva iungi cum corpore valeat, ad hoc ut efficiatur ens simpliciter unum. Principio quidem perspicuum est, substantiam intellectu-

(1) Cf. S. AUGUST. *Epist.* 13 ad Nebridium.

(2) Cf. S. THOM. *QQ. DD.* *De spirit. creaturis*, a. 3; *De Anima*, a. 9.

(3) Rosminii doctrina inventur clare exposita et invicte refutata apud MATHAEUM LIBERATORE, *Del composto umano*, cap. VII, a. 8.

vam copulari haudquaquam posse cum corpore per modum missionis, cum ad invicem alterari non queant. Insuper substantia spiritualis est incorruptibilis; incorruptibilitas vero missioni adversatur, in qua semper aliqua corruptio intervenit, cum minime remaneant actu, quae revera miscentur. Neque melius explicari potest haec iunctio per contactum sive stricto sensu sive late dictum. In primo quippe casu contactus impossibilis est, cum tactus molis tantummodo sit corporum; in secundo casu contactus, qui dicitur virtutis, nempe quatenus una substantia agat in alteram, licet non repugnet ex parte spiritualis substantiae, quae corpus movere potest; tamen haec unio non esset nisi accidentaliter, ex eaque nunquam resultaret ens simpliciter unum (1).

Remanet ergo scrutandum, an anima et corpus uniantur per modum actus et potentiae, sive per modum formae substantialis et materiae. Et quoniam haec ratio unionis, ducta ab Aristotele, a Doctoribus Ecclesiae, in primis a S. Thoma, et post eum ab omnibus Scholasticis explicata ac propugnata est, cum sit unica vera; antequam ad eius veritatem adstruendam accedamus nonnulli conceptus in memoriam revocandi sunt.

Materia. Causa materialis seu materia dici solet: *Subiectum ex quo aliquid fit, et intrinsece componitur, tamquam ex aliquo determinabili.* Si id quod fit, efficitur simpliciter, tunc subiectum, ex quo fit, dicitur *materia prima*, quae a S. Thoma sic declaratur: « Manifestum est quod cum potentia et actus dividant ens, et cum quodlibet genus per actum et potentiam dividatur, id communiter *materia prima* nominatur, quod est in genere substantiae ut potentia quaedam intellecta praeter omnem speciem, et formam, et etiam privationem, quae tamen est susceptiva et formarum, et privationum » (2). Quod si id quod efficitur, acquirit esse quoddam secundarium superveniens enti iam actu praesistenti, subiectum, ex quo res fit, est completa substantia, et melius dicitur subiectum, quam materia.

Forma. Causa formalis seu forma est: *Realitas per quam aliquid intrinsece constituitur, tamquam per actum determinativum; seu aliis verbis: Id quod facit esse actu subiectum, quod antea erat in potentia.* Forma ergo cum faciat esse actu, generaliter dicitur actum, et potentiae opponitur; et sicut potentia denotat aliquid determinabile, ita actus habet rationem determinantis; quare forma rem constituit et ad certum essendi modum determinat. Si facit esse actu absolute et simpliciter, dicitur *forma substantialis*; si facit esse actu secundum quid, dicitur *forma accidentaliter*. Utriusque discrimen sic assignatur a S. Thoma: « Haec est differentia formae substantialis ad formam accidentalem, quod forma accidentaliter non facit ens actu simpliciter, sed ens actu tale

(1) Cf. S. THOM. *Contra gent.* lib. II, cap. LVI.(2) *QQ. DD. De spiri. creaturis*, a. 1.

vel tantum, ut puta magnum vel album, vel aliquid, huiusmodi. Forma autem substantialis facit esse actu simpliciter. Unde forma accidentaliter advenit iam subiecto praesistenti actu; forma substantialis non advenit subiecto praesistenti, sed existenti in potentia tantum, scilicet materiae primae » (1).

Causalitas materiae et formae. Huiusmodi causalitas consistit in mutua communicatione propriae entitatis per immediatam unionem utriusque; ideoque materia et forma sunt principia constituenta rem intrinsecus. Diximus per *immediatam unionem*, ad excludendam cum Doctore Angelico falsam opinionem eorum, qui inter materiam et formam aliquid fingebant medium, quod utramque coniungeret ad unum quid efficiendum, et ex illo quaerebant causam unitatis in compositis. Sic causam unitatis hominis assignabant quamdam consubstantialitatem, sive coexistentiam animae cum corpore, quam *animationem* dicebant, eo ferme modo ac scientia poneretur ut aliquid medium inter animam et scire. Hoc falsum esse ex doctrina Aristotelis declarat Aquinas; et si de anima et corpore diceretur, deberet de omnibus affirmari, quae se habent, uti forma et materia. Sic convalescere erit medium inter animam et sanitatem, et esse album erit medium inter superficiem et albedinem, quod est perspicue falsum.

Huius erroris causa sic assignatur a S. Thoma: « Causa, quare talia posuerunt, est, quia inquirebant quid faciens unum potentiam et actum, et inquirebant differentias eorum, quasi oporteret eas colligari per aliquod unum medium, sicut ea quae sunt diversa secundum actum. Sed ultima materia, quae scilicet est appropriata ad formam, et ipsa forma sunt idem (*idest faciunt idem ens*). Aliud enim eorum est sicut potentia, aliud sicut actus. Unde simile est quaerere, quae est causa alicuius rei, et quae est causa, quod illa res sit una, quia unumquodque in quantum est, unum est. Quod enim est in potentia, fit in actu; et sic non oportet ea uniri per aliquod vinculum, sicut ea, quae sunt penitus diversa. Unde nulla causa est faciens unum, quae sunt composita ex materia et forma, nisi quod movet potentiam ad actum » (2).

Forma ergo substantialis communicat materiae esse substantiale, seu primum et simpliciter; contra quaelibet alia forma ipsi superveniens non avertit subiecto, nisi esse accidentale et secundum quid. Res ita declaratur a S. Thoma: « Est hoc proprium formae substantialis, quod det materiae esse simpliciter. . . Si qua forma est, quae non det materiae esse simpliciter, sed adveniat materiae iam existenti in actu per aliquam formam, non erit forma substantialis » (3). Cum autem

(1) *De Anima*, lib. II, lect. 1; cf. 1 p. q. 76, a. 4, et q. 77, a. 6.(2) *Metaph.* lib. VIII, lect. 5 fine.(3) *QQ. DD. De Anima*, a. 9; cf. *Contra gent.* lib. II, cap. LXVIII.

ens et unum convertantur, id quod facit esse simpliciter, facit etiam unum simpliciter. Unde forma substantialis, quae facit rem esse simpliciter, facit quoque eam esse simpliciter unam, et sicut est principium essendi, sic est principium unitatis (1).

Verum enim anima intellectiva ita per suam essentiam est forma corporis cui esse suum communicat, ut materiae capacitatem longe superexcedat; et exinde dimanat, quod quasdam operationes sibi proprias habeat, in quibus non communicant organa corporalia, nimirum intelligere et velle. Quam ad rem secundum quod anima attingitur a materia corporali, quam ad suum esse elevat, dicitur forma corporis; secundum quod supergreditur receptivam capacitatem materiae, et habet operationes sibi proprias, dicitur spiritus.

PROPOSITIO.

Anima intellectiva unitur corpori ut forma substantialis; nimirum homo ita constat ex anima et corpore, ut anima rationalis sit vera, per se, essentialis, et immediata corporis forma.

Nota. Dicitur forma vera, idest non per metaphoram vel analogiam. Dicitur per se et essentialis, ut excludatur ratio formae per accidens, vel secundum accidens, cum anima ex sua essentia ordinata sit ad informandum corpus, ut possit acquirere complementum suae speciei. Dicitur immediata, ut excludatur quodlibet medium coniungens animam cum corpore; nam proprius actus immediate recipitur in propria potentia, uti proxime notavimus.

Dogmatica definitio Concilii Viennensis. Cum veritas in propositione enuntiata multiplici et infallibili Ecclesiae decreto definita et tradita fuerit, non erit inopportunum fidei oracula in medium afferre. Clemens ergo V in generali Concilio Viennensi conceptis verbis definit, substantiam animae intellectivae esse vere, per se, et essentialiter formam corporis. En verba Concilii: « Doctrinam omnem seu propositionem temere asserentem, aut vertentem in dubium, quod substantia animae rationalis seu intellectivae vere ac per se humani corporis non sit forma, velut erroneam ac veritati catholicae inimicam fidei, praedicto sacro approbante Concilio, reprobamus; ut cunctis nota sit fidei sincera veritas, ac praecludatur universis erroribus aditus, ne subintrent, quod quisque deinceps asserere, defendere, seu tenere pertinaciter praesumpserit, quod anima rationalis seu intellectiva non sit forma corporis humani per se et essentialiter, tamquam haereticus

(1) Cf. S. THOM. *Contra gent.* lib. II, cap. LVIII.

condendus est » (1). Haec eadem definitio repetita est a Conc. Lateranensi IV sub Leone X (2).

Definitionem mox memoratam instauravit Pius IX P. M. qui, in suis litteris Apostolicis ad Archiepiscopum Coloniensem datis anno 1857, contra Güntherum eiusque adstipulatores ita quaestus est: « Noscimus iisdem libris laedi catholicam sententiam ac doctrinam de homine, qui corpore et anima ita absolvatur, ut anima eaque rationalis sit vera, per se, et immediata corporis forma ». Nuper recitata tum Concilii Viennensis tum Pii IX verba, quae diserte statuunt, substantiam animae intellectivae esse vere, per se, essentialiter, et immediate formam corporis, luculenter proclamant doctrinam a Scholasticis traditam de unione animae et corporis, simulque reprobant contraria systemata ex placitis cartesianis exorta, quae essentialem et immediatam unionem animae et corporis funditus subvertunt, cum omnia huiusmodi systemata negent, animam communicare corpori suum esse substantiale.

Prob. prop. Arg. 1.^{um} Anima intellectiva est substantia incompleta, quae per communicationem sui esse intrinsecus determinat materiam ad certam speciem substantiae corporeae. Atqui hoc est proprium munus formae substantialis. Ergo anima est vera, essentialis, et immediata corporis forma. Siquidem ad propositionem maiorem quod attinet, perspicuum est, animam esse substantiam incompletam, cum sit pars naturae humanae, et nequeat exercere multiplices operationes suae speciei sine corporis societate, cum et ipsum intelligere quod fit sine organo corporali, perfici nequeat, ut est proprium speciei humanae, quin anima sit corpori essentialiter coniuncta: cognitionem enim accipere debet a rebus sensibilibus; quod impossibile foret, nisi corpori esset unita. Per sui esse communicationem determinat materiam ad esse substantiam viventem; et nihil viventibus est magis intrinsecum, quam vivere, cum vivere viventibus sit esse. Insuper elevat materiam ad esse corpus humanum, quod est vera species substantiae corporeae, nam est natura una et indivisa duobus trinit dimensionem. Cum propositio minor sit ipsa definitio formae substantialis iure concluditur, animam intellectivam esse formam substantialem corporis, cui tribuit esse et speciem.

Arg. 2.^{um} ex S. Thoma desumptum sic summam potest proponi. Ad hoc quod aliquid sit forma substantialis alterius, duo necessaria sunt, nimirum quod forma sit principium intrinsecum essendi essentialiter ei, cuius est forma, idest principium quo aliquid est et denominatur ens; ex quo sequitur secundum, nempe quod materia et forma conveniant in uno esse compositi. Atqui haec duo reperiuntur in

(1) CLEMENTINAE, *De Summa Trinitate et fide catholica*, Tit. 4, cap. unico.

(2) Ses. 8, *Canone Apostolici Regimini*.

unione animae cum corpore. Ergo anima intellectiva corpori unitur ut forma substantialis.

Quod si quis obiicit, animam intellectivam non posse communicare suum esse materiae corporali, ita ut sit unum esse utriusque, cum modus essendi animae intellectivae nobilior sit modo essendi subiecti materialis. Responso in promptu est ex S. Thoma, qui ita difficultati occurrit: « Hoc convenienter diceretur, si illud esse materiae esset, eodem modo, sicut esse formae. Non est autem ita: est enim materiae corporalis, ut recipientis et subiecti ad aliquid altius elevati; substantiae autem intellectivae, ut principii et secundum propriae naturae congruentiam » (1). Aliis verbis: Esse compositi humani est in corpore tamquam in subiecto, quod sua capacitate receptiva illius nobilitatem non adaequat, ideoque licet attingatur a materia, nihilominus ab ea non comprehenditur, sed eius capacitatem longe supergreditur: est autem in forma, sicut in principio a quo dimanat, ideoque est iuxta capacitatem animae, quam excedere non potest, cum esse nunquam sit praestantius principio formali, quod consequitur.

Arg. 3.^{um} Illud, quo primo aliquid operatur, est forma eius; nihil enim agit, nisi secundum quod est actu, et est actu per formam. Atqui homo operatur vitaliter secundum diversos gradus vitae, idest vegetativae, sensitivae, et intellectivae. Ergo anima intellectiva, quae est principium, quo homo intelligit, unitur corpori ut forma ad hominem constituendum (2).

Quod si aliquis, uti notat Angelicus, vellet negare, animam intellectivam uniri corpori ut formam, deberet assignare modum, quo actio intelligendi sit huius hominis actio; quisque enim experitur, se esse qui intelligit. Porro vel recurrendum erit ad commentum Platonis, vel ad placitum Commentatoris, ut aliquo modo anima intellectiva dicatur coniuncta homini, cui attribuitur actio intelligendi. Sed hi duo modi unionis a nobis iam eieci sunt: « Relinquitur ergo, ut cum Aquinate concludamus, solus modus, quem Aristoteles ponit, quod hic homo intelligit, quia principium intellectivum est forma eius » (3). Brevius: Huic homini attribuitur actio intelligendi. Atqui haec actio ipsi non posset tribui, nisi anima intellectiva, quae est principium illius operationis, esset forma eius. Ergo anima intellectiva unitur corpori ut forma.

Plura alia argumenta conferri possunt apud S. Thomam, locis a nobis superius citatis, nimirum quod homo constituatur in sua specie per animam intellectivam cum sit animal rationale. Id vero quod compositum determinat ad speciem est forma substantialis: vel quod

(1) *Contra gent.* lib. II, cap. LXVIII.

(2) Cf. *ARIST. De Anima*, lib. II, text. 24.

(3) I p. q. 76, a. 1.

ex anima et corpore fiat unum per se. Id vero fieri nequit, nisi anima sit per modum actus et formae, et corpus per modum potentiae et materiae; ex duobus enim entibus in actu nunquam fit unum per se, cum non sit aliquid ea colligans.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES (1).

Oppon. 1.^o Anima intellectiva est substantia spiritualis et subsistens. Atqui substantia spiritualis et subsistens, non potest esse actus corporis ipsi communicans esse. Ergo anima intellectiva non unitur corpori ut forma substantialis.

Resp. Dist. mai. Anima est substantia spiritualis et subsistens in specie incompleta, *Conc.* Est forma subsistens in specie completa, *Neg. Contradist. min. et Neg. cons.*

Explico. Triplex est ratio formarum. Quaedam sunt subsistentes in propria et perfecta specie, et dicuntur formae separatae, uti Angeli; et hae substantiae separatae nullo pacto esse possunt actus informativus corporis. Quaedam contra non habent esse, nisi in materia et per materiam; et istae formae existere nequeunt extra materiam a qua dependent in essendo, et dicuntur formae materiales, informantes et non subsistentes, uti sunt animae animalium brutorum. Quaedam demum sunt formae, quae medium occupant locum; nam et esse habent independens a materia, ideoque separatae a subiecto existere possunt; sed cum illud esse non sit completum in specie, possunt communicari suum esse corpori, quod sibi substantialiter coniungunt ad speciem complemandam; et dicuntur formae subsistentes simul et informantes; uti est anima humana, quae dici potest esse in corpore ut in subiecto *informativus*, non vero *sustentativus*, cum non egeat sustentari a corpore ut possit existere. Ad rem S. Thomas: « Anima habet esse subsistens in quantum esse suum non dependet a corpore, utpote supra materiam corporealem elevatum; et tamen ad huius esse communionem recipit corpus, ut sic sit unum esse animae et corporis quod est esse hominis » (2).

Oppon. 2.^o Quidquid advenit alicui post primum esse, accidentaliter ei supervenit. Atqui corpus advenit animae post esse completum. Ergo ei accidentaliter unitur.

Resp. Dist. mai. Quidquid advenit alicui post primum esse, accidentaliter advenit, si advenit ut forma, *Conc.* Si advenit ut subie-

(1) Innumerae difficultates, quae afferri possunt contra explicatam doctrinam, accurate proponuntur, et perspicue dissolvuntur a S. THOMA praesertim in *QQ. DD. De Anima*, et *De spiritualibus creaturis*. Nos ut brevitati consulamus, quasdam selegemus, nempe eas, ex quarum solutione quaestio ulterius illustrabitur.

(2) *QQ. DD. De spirit. creaturis*, a. 2 ad 3. Quo pacto anima sit subsistens et actus corporis accurate explanatur ab Angelico *QQ. DD. De Anima*, a. 1.

ctum, *Subdist.* Si advenit formae complete subsistenti in natura speciei, iterum *Conc.* Si advenit formae, quae non est completa in natura speciei, *Neg. Contradist. min. et Neg. Cons.* Consimilem difficultatem sic dissolvit Aquinas noster: « Licet habeat anima esse completum, non tamen sequitur, quod corpus ei accidentaliter uniatur, tum quia illud idem esse, quod est animae, communicat corpori, ut sit unum esse totius compositi, tum etiam quia etsi possit per se subsistere, non tamen habet speciem completam, sed corpus advenit ei ad complementum speciei » (1).

Oppon. 3.^o Si anima non esset complete subsistens, perficeretur per unionem; nam materia est propter formam. Atqui per unionem non perficitur neque quoad esse, quia illud communicat, non recipit, et consequenter neque quoad operationem, quae sequitur esse. Ergo anima est complete subsistens, et nullo pacto actus corporis.

Resp. Conc. mai. et Neg. min. Ad rationem additam, *Dist.* Anima communicat esse ut causa formalis, *Conc.* Ut causa efficiens, *Neg.* Porro aequivocatio in hoc habetur, quod male confunditur causalitas causae formalis cum causalitate causae efficientis. Causa efficiens, cum faciat actu aliquid a se adequate distinctum, seipsam perficere nequit per suam actionem; verum causa formalis, cum actuet subiectum, quocum unitur ad aliquid unum complete subsistens constituendum, per communicationem sui esse seipsam perficit quoad esse, et consequenter quoad operationem.

Oppon. 4.^o Intellectiva potentia eo quod sit forma spiritualis non potest esse actus corporis seu organi. Atqui eadem ratio militat pro anima, quae non habet inferiorem gradum spiritualitatis. Ergo anima rationalis non est forma corporis.

Resp. Dist. mai. Intellectus non potest esse actus organi propter suam spiritualitatem coniunctam cum imperfectione formae accidentalis, *Conc.* Propter suam spiritualitatem nude sumptam, *Neg. et Neg. min.*

Explico. Forma substantialis hoc inter alia differt a forma accidentali, quod prima causat esse actu in subiecto, quod est ens in potentia tantum; et ex adverso cum subiectum formae accidentalis sit ens actu, actualitas formae accidentalis causatur a subiecto, a quo omnino dependet in essendo. Quare minime repugnat, formam substantialem communicare esse subiecto, et in se subsistere, si illud esse non comprehenditur a materia: verum repugnat, formam accidentalem habere esse a subiecto corporali, et dici spiritualement, id est independentem in essendo a corpore (2).

Oppon. 5.^o Forma et materia sunt in eodem genere, nam omne genus dividitur per actum et potentiam. Atqui anima et corpus non

(1) *QQ. DD. De Anima*, a. 1 ad 1.(2) *Cf. S. Thom. 1. p. q. 77, a. 6.*

sunt in eodem genere. Ergo anima intellectiva non est forma corporis.

Resp. Dist. mai. Forma et materia sunt in eodem genere reductive ut principia speciei, *Conc.* Formaliter ut species eiusdem generis, *Neg. Contradist. min. et Neg. cons.* Difficultati sic occurrit S. Thomas: « Quod obiicitur, formam et materiam in eodem genere contineri, non sic verum est quasi utrumque sit species unius generis; sed quia sunt principia eiusdem speciei. Sic igitur substantia intellectualis et corpus, quae seorsum existentia essent diversorum generum species, prout uniantur, sunt unius generis ut principia » (1).

Oppon. 6.^o Forma, quae dat esse materiae, est forma materialis. Atqui anima intellectiva est substantia spiritualis et immaterialis. Ergo non unitur corpori ut forma.

Resp. Dist. mai. Forma quae ita communicat esse materiae, ut illud esse totaliter comprehendatur a materia, est materialis, *Conc.* Ut illud esse, quod attingitur a materia, eius capacitatem longe superexcedat, est materialis, *Subdist.* Id est non est independens a materia in essendo, *Neg.* Non habet omnimodam separationem a materia ut formae mere intellectuales, *Conc. Contradist. min.* Anima intellectiva est spiritualis, ita ut eius esse nullo modo attingatur a materia, *Neg.* Ita ut licet in se subsistat, possit materiam ad esse suum elevare, ad perfectam naturam suae speciei consequendam, *Conc.* Rem ita acu tangit S. Thomas: « Quamvis sit unum esse formae et materiae, non tamen oportet, quod materia semper adaequet esse formae: immo quanto forma est nobilior, tanto in suo esse semper excedit materiam; quod patet inspicienti operationes formarum, ex quarum consideratione earum naturas cognoscimus. Unumquodque enim operatur secundum quod est; unde forma cuius operatio excedit conditionem materiae, et ipsa secundum dignitatem sui esse superexcedit materiam » (2).

Oppon. 7.^o Intellectus a Philosopho (*De Anima*, lib. III, text. 9) dicitur separatus. Iam vero si intellectus est separatus a corpore, anima intellectiva non est forma corporis. Ergo.

Resp. Dist. mai. Intellectus dicitur separatus, eo quod anima intellectiva, cuius est potentia, sit separata a corpore, *Neg.* Eo quod non sit actus organi, *Conc. Contradist. min. et Neg. cons.*

Explico. Ad clariorem rei explicationem audiatur S. Thomas: « Est in anima considerare et ipsius essentiam, et potentiam eius. Secundum essentiam quidem suam dat esse tali corpori; secundum potentiam operationes proprias efficit... Si operatio eius non completur per organum corporale, potentia eius non erit actus alicuius

(1) *Contra gent. lib. II, cap. LXXIX.*(2) *Contra gent. lib. II, cap. LXVIII.*

corporis; et per hoc intellectus dicitur esse separatus, non quin substantia animae, cuius est potentia intellectus, nec anima intellectiva sit corporis actus, ut forma dans tali corpori esse » (1). Quocirca, docente ipso S. Thoma anima est forma corporis secundum essentiam animae intellectivae, non autem secundum operationem intellectivalem (2).

Hinc quaerenti, an anima intellectiva, quatenus intellectiva sit forma corporis, responso in promptu est. Si reduplicatio illa denotat, animam, informando corpus, illi communicare perfectionem vitae intellectivae cuius corpus non est capax, negandum est, animam intellectivam hoc sensu informare corpus: si illa reduplicatio indicat, substantiam animae intellectivae, quae omnino simplex est, vere coniungi corpori, cui communicat suum esse quod excedit capacitatem corporis, concedendum est, animam intellectivam, quatenus intellectivam uniri corpori; nam eadem anima, quae per essentiam est forma corporis, habet potentias intellectuales, prout supergreditur materiam corporalem; et secundum quod unitur corpori, habet operationes et vires in quibus communicat corpus, sicut sunt vires animae sensitivae (3).

Qua de re fas est concludere, essentiam animae, quae formaliter est intellectualis, et virtualiter continet perfectiones formarum inferiorum, coniungi immediate corpori, cui non communicat gradum vitae et perfectionis intellectivae, ex quo profluit potentia intelligendi, quia materia elevari nequit ad illam perfectionem. Hinc difficultati in hunc modum propositae: « Anima intellectualis est forma in quantum intellectus. Sed intelligere est mediantibus potentiis. Ergo unitur corpori mediantibus potentiis » S. Thomas sic occurrit: « Licet anima sit forma corporis secundum essentiam, non tamen secundum operationem intellectualem » (4).

Oppon. 8.^o Anima per essentiam suam est subsistens. Atqui non potest esse per essentiam subsistens et actus corporis, quia haec duo ex opposito dicuntur. Ergo anima non est forma corporis.

Resp. Dist. mai. Anima per essentiam suam subsistit ut pars speciei humanae, *Conc.* Subsistit in specie completa, *Neg. Contra-dist. min.* Repugnat, formam aliquam incomplete subsistentem esse actum corporis, *Neg.* Repugnat, formam complete subsistentem esse actum corporis, *Conc. et Neg. cons.*

Oppon. 9.^o Anima rationalis et Angelus conveniunt in natura spirituali. Atqui Angelus non potest uniri corpori ut forma substantialis. Ergo anima intellectiva non est forma corporis.

(1) *Contra gent.* lib. II, cap. LXIX.

(2) Cf. S. THOM. *QQ. DD. De Anima*, a. 9 ad 11.

(3) Cf. S. THOM. *QQ. DD. De Anima*, a. 2 fine.

(4) *QQ. DD. De Anima*, a. 9 ad 11.

Resp. Dist. mai. Anima et Angelus conveniunt genericè in natura spirituali, *Conc.* Conveniunt specificè, *Neg. Conc. min. et Neg. cons.* Licet anima intellectiva et Angelus in eo convenientiam quod sint formae per se subsistentes; nihilominus gradus perfectionis subsistentiae et elongationis a materia multo excellentior est in Angelo quam in anima. Haec differentia perfectionis in spiritualitate in causa est, cur anima possit esse corporis forma et non Angelus.

Oppon. 10.^o Forma educitur de potentia materiae, secus materia non esset in potentia ad illam formam. Atqui anima rationalis non educitur de potentia materiae. Ergo anima non est forma corporis.

Resp. Dist. mai. Forma quae adaequat capacitatem materiae, educitur de potentia materiae, *Conc.* Quae supergreditur capacitatem materiae, *Neg. Conc. min. et Neg. cons.*

Explico. Tunc forma educitur de potentia materiae, quando actus et virtus formae totaliter reperitur in potentia eius, ita ut virtus et nobilitas formae adaequet capacitatem materiae. Quod si aliqua forma propter excellentiam suae perfectionis superet capacitatem receptivam materiae, quia eius virtus potest solum attingi a materia, et non comprehendi; tunc illa forma non potest educi de potentia materiae, in qua non est; sed debet produci ex nihilo.

Oppon. 11.^o Si anima uniretur substantialiter cum corpore ad faciendum unum per se, formae intelligibiles reciperentur in composito. Atqui species intelligibiles recipiuntur in sola anima. Ergo.

Resp. Dist. mai. Si anima et corpus ita facerent unum, ut forma non superexcederet capacitatem materiae, formae intelligibiles reciperentur in composito, *Conc.* Si anima intellectiva superexcedit capacitatem materiae, *Neg. Conc. min. et Neg. cons.* Solutio patet ex dictis.

Oppon. 12.^o Pereunte corpore, perit in anima ratio formae, quia remanet separata. Atqui quod potest abscedere ab alio, remanente eius substantia, ei convenit accidentaliter. Ergo anima non est essentialiter forma.

Resp. Dist. mai. Pereunte corpore, perit in anima actualis informatio corporis, *Conc.* Perit in anima essentialis et transcendentalis ordo ad corpus tamquam ad proprium perfectibile, *Neg.* In difficultate confunditur actualis informatio corporis cum essentiali relatione et habitudine ad illud informandum. Primum non constituit essentiam animae, secus anima non posset existere separata a corpore. Secundum constituit animae essentiam, ideoque remanet semper in anima corpore exuta, quia corrupto corpore non perit ab anima natura secundum quam ei competit ut sit forma et possit perficere materiam, licet actu eam non perficiat.

Oppon. 13.^o Esse animae est simplex, esse corporis resultat ex partibus quantitativis. Atqui idem esse non potest dici simplex et compositum. Ergo anima non communicat suum esse corpori.

Resp. Dist. mai. Esse animae est formaliter simplex et virtualiter multiplex et compositum, *Conc.* Est formaliter et virtualiter simplex, *Neg. Contradist. min. et Neg. cons.* Haec difficultas est similis illis quae fieri solent ex corporeitate, ex figura, et ex aliis proprietatibus, quae cum non sint formaliter in anima; nihilominus reperuntur in corpore informato per animam. De hac re uberius et dedita opera agemus paulo post, cum declarandum veniet, in homine non dari nisi unam formam substantialem.

Oppon. 14.^o Forma et materia, quae sunt principia essentialia, ordinantur ad esse compositi. Atqui anima habet esse. Ergo non ordinatur ut forma ad esse compositi.

Resp. Dist. mai. Ordinatur ad esse compositi, quod sit completum in specie, *Conc.* Ad esse compositi simpliciter, *Neg. Contradist. min.* Anima habet esse completum in specie, *Neg.* Habet esse incompletum in specie, *Conc. et Neg. cons.* Solutio patet, nam licet anima possit per se esse simpliciter, non potest esse in completo speciei nisi unita corpori.

ARTICULUS IV.

DE UNITATE ANIMAE IN QUOLIBET HOMINE.

QUAESTIO DEFINITUR. Cum triplex sit in viventibus animatis vitae gradus, nimirum vegetativus, sensitivus, et rationalis, cumque principium tribuens vitam dicatur anima; merito inquirendum venit, num in homine, in quo hi tres vitae gradus una conspiciuntur, sint tres animae per essentiam diversae, vel unica dumtaxat admitenda sit substantia animae, quae ut forma nobilior corpori communit, quod formae inferiores tribuunt, et aliquid amplius, ita ut corpus hominis per eandem animam intellectivam sit vivum, sentiens, et humanum. Quaestioni sic determinatae respondemus, in homine praeter animam intellectivam non dari alias animas per essentiam diversas. Quod, quomodo sit intelligendum, sic paucis declaratur a S. Thoma: «Forma perfectior dat materiae quidquid dabat forma inferior et adhuc amplius. Unde anima rationalis dat corpori humano quidquid dat anima sensibilis brutis, vegetabilis plantis, et ulterius aliquid, et propter hoc ipsa est in homine et vegetabilis, et sensibilis, et rationalis» (1).

Et re quidem vera, si anima rationalis unitur corpori ut forma substantialis, corpus praesupponi non potest actuatum per aliam animam, quae ipsum faceret substantiam actu viventem, vel sentientem;

(1) *QQ. DD. De Anima*, a. 11.

tunc enim anima intellectiva afferret corpori esse quoddam secundum, quod proprium est formae accidentalis. Quare veritas haec intime connectitur cum alia veritate, quod nempe anima intellectiva sit in homine forma substantialis corporis. Sic paucis rem complexus est S. Thomas: «Si ponamus, animam corpori uniri sicut formam, omnino impossibile videtur, plures animas per essentiam differentes in uno corpore esse» (1). Antequam ad veritatem propugnandam accedamus, summatim recensendi sunt errores tum veterum tum recentiorum, qui unitatem principii vitalis negant in homine.

Philosophi veteres. Unitatem animae in hominibus, ut de Pythagora eiusque discipulis taceamus, inficiatus est Plato, qui triplicem in homine finxit animam, cuius principatum, idest rationem in capite collocavit, tamquam in arce, vim nutritivam posuit in hepate, concupiscibilem in corde (2). Manichaei duas admiserunt in homine animas, unam bonam et alteram malam. Apollinaristae docebant, hominem esse compositum ex corpore, anima, et ratione. Errorem Platonis refutavit Aristoteles, qui hominis animam definivit: *Id quo vivimus, sentimus, movemur, et intelligimus primo.* Error autem Manichaeorum et Apollinaristarum refutatus a SS. Patribus, damnatus fuit a Conciliis, praesertim a Constantinopolitano octavo. Quare doctrina de unitate principii vitalis a Patribus vindicata et a Conciliis definita ad Scholasticos manavit, inter quos princeps exstitit S. Thomas, qui docuit, in homine admitti non posse nisi unam animam, unicamque formam substantialem, et sic commentum Platonis paulo secus instauratum ab Avicibrone penitus explosit (3). Verum Guilielmus Lamenensis Professor Oxoniensis sententiam a S. Thoma traditam de unitate formae substantialis in homine acriter insectatus est, et in Opere quod inscripsit: *Correctorium Operum Fr. Thomae* et evulgavit (an. 1284), docuit, in homine praeter animam intellectivam dari animam sensitivam et animaleam, quas ab intellectiva distinctas effinxit. Neque hic silentio praetereundus est Guilielmus Ockam parens Nominalium, qui et ipse doctrinam peripatetico-scholasticam de unitate animae aggressus est, et duas in homine adesse animas affirmavit (4).

Philosophi recentes. Ut a parente novatae philosophiae incipiamus, Cartesius, repudiata scholastica doctrina de substantiali compositione corporum, consequenter labefactavit unionem substantialem animae cum corpore, denegans, animam communicare corpori aliquod esse substantiale. Idcirco licet solam animam intellectivam in homine admitat; ab ea tamen inficiatur, procedere ullam corporis operatio-

(1) I p. q. 76, a. 3.

(2) Cf. ARIST. *De Anima*, lib. I, text. 90.(3) Cf. S. THOM. *QQ. DD. De spirit. creaturis*, a. 3.(4) *Quodlib.* 2, q. 10 et 11; in 4 *Sent.* q. 7.